

Cardinalis cui Sacrosancta Lateranensis Ecclesia cum suis Ecclesiis, Monasteriis et capellis earumque cura et administratio cum iure ordinarie potestatis ac iurisdictionis Universis est ab apostolica plene commissa, per presens scriptum publicum universis notumfacimus et testamur, quod nos vidimus et diligenter inspeximus infrascriptas licteras apostolicas et indulta felicitis Recordationis domini Bonifacii pape octavi eius veris bullis filis sericis appensis bullatis non vitiatas, non cancellatas non in aliqua sui parte suspectas set omni prorsus suspicionem carentes subscripti tenoris, quas ad instantiam capituli, nostro decreto et auctoritate exemplari fecimus. volentes eisdem ut autenticis fidem haberi ubilibet. sub anno et die inscripto. Bonifatius Episcopus servus servorum dei. dilectis filiis Capitulo lateranensis Ecclesie tam presentibus quam futuris in perpetuum. Romana Ecclesia, que super universas Ecclesias obtinet institutione divina primatum, circa singulas maternelis diligens cure sedulo vigilas earum prefectibus et iurium servatoribus ac indebitatibus velud sollicita mater ardentem intendit, studens illa efficaciter agere, quorum suffragiis in spiritualibus et temporalibus augmenta valeant pervenire, nec detrimenta in utrisque aliquantulum patiantur. Sane inter varias et innumeras sollicitudines que nobis ex officio apostolatus incumbunt, ad patriarchalem lateranensem Ecclesiam quam inter ceteras urbis et orbis Ecclesias velud caput ipsarum antiquitatis, dignitatis, et nobilitatis prerogativa fulgentem, utpote a beato Silvestro Romano antistite ante alias Ecclesias dedicata, dilectionis et devotionis affectum prosequimur speciali presenti ob reverentiam Salvatoris domini nostri Iesu christi et beati Iohannis quorum est ipsa ecclesia vocabulo insignita, nostre mentis aciem convertentes prefatam ecclesiam cum omnibus membris suis in qua divino mancipati estis obsequio ad exemplar predecessorum nostrorum Romanorum pontificum sub beati petri et nostra potestate suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Inprimis Statuentes. decernentes ac mandantes ut infrascripte Ecclesie. possessiones et bona eiusdem ecclesie, aut quascunque alias in futurum concessione Pontificum. largitione Regum vel principum. oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante domino ecclesia ipsa poterit adipisci, firme vobis nostrisque successoribus et illibate permaneant, quas propriis duximus exprimendas vocabulis, videlicet: In urbe Ecclesiam Sancti Iohannis ante portam latinam cum capellis suis videlicet Sancti Stephani in capite africe. Sancti Laurentii iuxta porticum beati petri. Sancti Anastasii. Sancte Lucie de colupna cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam Sancti Gregorii in martio cum omnibus ad eam pertinentibus, Molendinum in capite laci. Ecclesias Sancti Bartholomei et Sancti Danielis cum earum pertinentiis. In diocesi Balneoregensi Ecclesiam Sancti Prancatii (*sic*) sitam in territorio Montisflasconis cum domibus. molendinis et terris existentibus intus et foris dictum castrum. In diocesi Narniensi Ecclesiam Sancte Marie in collesapio cum omnibus pertinentiis suis. In Episcopatu Imterannensi Ecclesiam Sancti Thome cum omnibus pertinentiis. In diocesi Spoletana Ecclesiam Sancte Marie de Sillano. Monasterium Sancti Petri de ferentillo cum omnibus castris. villis et possessionibus suis. In Episcopatu Ameliensi Ecclesiam Sancte Romane sitam iuxta civitatem et Ecclesiam Sancti Pauli infra muros civitatis eiusdem cum omnibus earum pertinentiis. In diocesi Reatina ecclesias Sancte Anestasiæ (*sic*) et Sancti Leopardi de castro collisfecati cum pertinentiis suis. In Episcopatu Esculano ecclesiam Sancti Thome et hospitalem Sancti Bartholomei de esculo. In diocesi Marsicana ecclesiam Sancte Eugenie cum omnibus pertinentiis eius. In